

XII. Cùm verò aliàs nil sit tam absurdum, quin defen-  
forem & patrõnum inveniatis; ita etiam repertus fuit Pesca-  
tur Theologus Herbonensis, qui ad Elench. Busch. c. 16. po-  
steriorem problematis partem affirmare non veritus est,  
Deumq; de tribus personis ut Genus prædicari statuit, ni-  
xus stramineis quibusdam ratiunculis: sed nos pro priori  
quæstionis parte contra Piscatorẽ proponimus hoc argu-  
mentum ex natura universalium desumptum: Quicquid in  
iis de quibus prædicatur, nec multiplicatur, nec multipli-  
cari potest, illud non est universale, adeoque nec Genus.  
Aqui Deus in iis de quibus prædicatur, non multiplicatur,  
nec multiplicari potest. E. Deus non est universale, & con-  
sequenter nec Genus. Major nititur ipsa ipsius universalis  
natura, de cuius ratione formali est, ut sit in multis cum  
sui multiplicatione, seu ut in multis quibus inest, multipli-  
cetur natura ejus. Minor itidem in aprico est: nam licet  
natura divina sit in multis, nempe in tribus personis, in il-  
lis tamen non multiplicatur, cum sit una numero divina  
essentia. Stat ergo conclusio inconcussa:

XIII. Rationes verò quas Piscator pro stabilienda sua  
sententia adfert, clumbes sunt, cùm manifesto impingant  
in regulas syllogisticas, adeoque refutatione vix dignæ  
sint. (1) Ita argumentatur: Totum partibus suis essentiale  
est Genus. Deus est totum partibus suis, nempe tribus  
personis, essentiale. E. Deus est Genus. Verùm breviter  
respondemus, cùm per totum partibus suis essentiale hic  
nihil aliud intelligatur quàm universale, falsa E. est Major  
& minor, quia salva veritate subjecto ejus nõ potest præfigi  
signum universale, quod tamen in syllogismis primæ figu-  
ræ ut formaliter concludant, est necessarium. Falsum e-  
nim est, omne totum partibus suis essentiale esse Genus,  
cùm & species sit ejusmodi totum, nec tamen Genus. Min.  
quia,